



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XXVII. David contra Goliath pugnans, & in aliis egregia figura
fuit Christi Jesu crucifixi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XXVII.

David contra Goliath pugnans, & in aliis
pulcherrima figura Christi Jesu crucifixi.

*Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus,
& elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente,
& processit ad Philistæum. 1. Reg. 17. 40.*

I.

Celebratissima est illa pugna, quæ Davidem inter & Goliathum accidit. Cùm adhuc puer esset pastoritius, & contra ferocissimum gigantum se ad singulare pararet certamen, non alia arma quàm baculum suum pastoritium, fundam & quinque lapides elegit, quibus instructus animo plùs quàm virili contra hoc immane in arenam descendit portentum. Induebat quidem Rex Saul eum propriis armis ac vestimentis; verùm David hæc omnia generosè respuens: *Non possum, inquit, sic incedere, quia non usum habeo; Idcirco arcam galeam & loricam cum cæteris indumentis & armis militaribus depositis, solà tunicam vulgari contentus, ad pugnam se paravit: Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit ad Philistæum.*

Verum enim verò quid agis ò David? non cum canibus tibi negotium est, sed cum hoste & milite exercitato ac validissimo? Ille gladio & loricam squammatam indutus, & tu nudus, vilis ac inermis appares? Hic galeam & hastile gestat ferratum, & tu solùm fustem ac lapidem? Ipse ocreis æreis solidatus, corpusque æreo tegit clypeo; Et tu sine ullo scuto, gladio & hastâ audeas contra hoc immane nature monstrum in bellum ac singulare duellum procedere? Quid multis? David generosè vincit hostem, lapide prosternit, resecat blasphemum caput, totumque Philistinorum solus confundit exercitum. O victoriam incomparabilem, & nec ullis unquam sæculis satis decantandam!

Respon-

Respondet ad hoc S. Ambrosius: *Quamvis David inermis oculis hominum videretur, satis tamen erat gratia divinitatis armatus, quâ protectus, non mole corporis, sed virtute animi, imò in virtute crucifixi Domini, cuius typum & personam gessit, arrogantissimum illum hostem superavit.* Quid enim baculus ille pastoritius in Davide aliud præsignavit quàm Crucem JESU, quâ Goliath infernalem Filius Davidis in arenâ Golgothæa debellavit? Audiamus S. Augustinum: *David, inquit, gessit typum Christi: Quis enim contra Goliath, id est diabolum pugnare poterat, antequam Christus Dominus genus humanum de potestate diaboli liberaret? David enim interpretatur manu fortis. Quid eo fortius Fratres, qui universum mundum vicit armatus non ferro, sed ligno.* Observa prudens Lector hæc verba: Non ferro, sed ligno, quæ vidi quondam Romæ super grandem erectam crucem pro lemmate inscripta. Et quid melius?

2. Per quinque limpidissimos lapides, quos David de Torrente selectos in peram suam misit, præfigurata sunt quinque Sacratissima Salvatoris nostri Vulnera, in quorum virtute hunc suum validissimum hostem prostravit, vicit & debellavit: *Tulitque unum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens, percussit Philistæum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem super terram.* Ubi observandum, quòd lapis ille inter quinque ultimus fuerit; Lapidi enim primo David inscripsit nomen Abrahæ, secundo Isaac, tertio Jacob, quarto Moysis, & quinto Josue, quem ultimum primò ex pera sua extraxit, & in hostem vibravit, ac feliciter inimicum suum superavit. Nota hic nomen JOSUE, quod idem est per transpositionem litterarum, quàm O JESU, unde dixit David ad Philistæum: *Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo: Ego autem venio ad te in nomine Domini.*

O anima Christiana! Si hostes tuos, Mandum, dæmonem, carnem rebellem, ac indomitas passiones tuas quotidie te infestantes feliciter desideras debellare ac vincere: *Indue armaturam Dei, ut possis stare adversus insidias diaboli:* Armatura autem hæc non alia est, quàm nomen JESU, baculus SS. Crucis, & quinque SS. Vulnera ejus. Audi Poëtam Christianum:

Fide cruci: tota hoc pendet victoria signo:

Hinc Erebi clades: hinc animæque salus.

3. Porrò David in pluribus fuit typus Christi. Primò in sedula custodia ovium sibi à patre commissarum, pro quibus tuendis se ipsum periculo exposuit, non formidans leones ac ursos, quos interfecit, unde ad Saul regem dixit: *Pascabat servus tuus patris sui gregem, & veniebat*

S. August.
serm. 197.

leo & ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequerbar eos, & persequerbar, eruebamque de ore eorum. Supra quod S. Augustinus: David, id est, Christus leonem & ursum strangulavit, quando ad inferna descendens, omnes de eorum faucibus liberavit.

Secundò David typus fuit Christi in tot perferendis persecutionibus; quoties enim Saul & alii eum querebant ad necem? ac tunc præsertim, dum lancea eum conabatur transfodere: Tenebatque Saul lanceam, & misit eam, putans quòd configere posset David cum pariete. David in hoc illæsus aufugit, Christus verò crudeli militis lancea in cruce transfixus est; unde rectè Rupertus Abb. Nam iste quidem, in figura patiens, non confixus fugiendo evasit: Ille autem cujus passiones præfigurantur, lancea clavisque confixus quidem est, sed resurgendo evasit.

4. Ulteriùs David typus Christi extitit in benefaciendo Sauli inimico suo accerrimo, dum maleficia illius ultus est per beneficia, quod benè agnovit Jonathas patri suo irato proponendo: Ne pecces Rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valde, & posuit animam suam in manu sua, & percussit Philistæum, & fecit Dominus salutem magnam universo Israël: vidisti, & latatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio interficiens David, qui est absque culpa? Ita & Christus Dominus cum Pharisæorum & Judæorum odiis incensâ suâ charitate certavit, bona illis reddendo pro malis, & orando pro illis: Et pro transgressoribus rogavit, clamans in cruce: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. O admirabilem charitatem, quâ sui suorumque quasi oblitus dolorum, pro suis oravit carnificibus & crucifixoribus. Habes hic anime mi, pulcherrimum exemplum, quid tibi in persecutionibus sit faciendum. Audi Veritatem: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: Et orate pro persequentibus, & calumniatoribus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.

5. Consideremus adhuc perelegantem typum Davidem inter & Christum crucifixum. Cùm vehementissima lues Solymæam devastaret civitatem, & in obvios quosque cives crudelissimè sæviret, David Rex, ut iratum Numen sibi redderet propitium, populòque placabilem, se ipsum obtulit in victimam & holocaustum: Dixitque David ad Dominum, cùm vidisset Angelum cadentem populum. Ego sum qui peccavi &c. Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. His dictis in aream Areuna ascendit, ubi altare publicum in campo sub nudo cælo erexit, in quo per manus Sacerdotum pacifica sacrificia & holocausta pro totius regni salute obtulit: Et edificavit ibi David altare

2. Reg. 24.
17.

Veif. 25.

altare Domino, & obtulit holocausta pacifica, & propitiatus est Dominus terra, & cohibita est plaga ab Israël.

En perfectissimum typum in Christo JESU crucifixo, filio Davidis suo tempore impletum, qui pro omnium salute in ara crucis se ipsum Patri aeterno obtulit in victimam: David, inquit hic Cornelius, sacrificans in arca Areuna, iramque Dei placans, & pestem sedans, typus erat Christi, qui in eodem loco (Calvariae enim mons vicinus est monti Moria, ejusque quasi pars & jugum) seipsum in hostiam pro peccato Patri immolaturus, iram ejus erat placaturus, mortemque praesentem & aeternam à nobis ablaturus.

6. In talem victimam tempore pestis etiam se obtulit S. Carolus Borromaeus S. R. E. Cardinalis & Archiepiscopus Mediolani, qui ut alter David, & tanquam verus Aaron stans inter mortuos & viventes, ut plagam deservientem averteret, ipse in publica supplicatione nudis ac cruentatis pedibus, fune in collum injecto, & grandem bajulans crucem populo praecessit, ut averteret Dei indignationem ab eis. Neque hoc contentus, & clavum Christi crucifixi in publica alia processione circumferre voluit. Erat hic ferreus clavus in summa Ecclesiae fornice in choro suspensus, & quinque ardentes lampades assidue circa illum eollucentes, quem per Sacerdotes depositum cruci pretiosae inseruit, atque per longissimam viam maxima cum veneratione in civitate Mediolanensi, comitante universo clero ac populo, nudipes circumtulit, non sine pedum vulnere & sanguine inde promanante. Et ut memoriam patientis ac crucifixi JESU altè menti suae imprimeret, certis temporibus in solitudinem Veralli montis, ubi mysteria Passionis Dominicae per sculptas imagines ad vivum representantur, secedere erat solitus, ubi asperam quidem in jejunio, flagellis, cinere & cilicio, sed Christi dolorum meditationibus suavem vitam duxit, ac demum 4-

Ex vita S. Car. Borrom. Num. 1648.

Novembris anno 1584. dilecto Crucifixo suo immortalis. O si nunc plures tales Carolos inter Ecclesiae Praelatos & Sacerdotes haberemus!



CON-